

quibus esset persuasum, non ab hoste, sed ab homine amicissimo consilium datum, longissimo agmine maximisque impediementis.

¹dat manus, gives in. ²equipment.

XX.

The massacre (Caes., Bell. Gall., V., 37).

Sabinus, quos in praesentia tribunos militum circum se habebat, et primorum ordinum centuriones se sequi iubet et, cum propius Ambiorigem accessisset, iussus arma abicere imperatum facit suisque, ut idem faciant, imperat. Interim, dum de condicionibus inter se agunt longiorque ab Ambiorige instituitur sermo, paulatim circumventus interficitur. Tum vero suo more victoriam conclamant atque ululatum¹ tollunt impetuque in nostros facto ordines perturbant. Ibi Lucius Cotta pugnans interficitur cum maxima parte militum. Reliqui se in castra recipiunt, unde erant egressi. Ex quibus Lucius Petrosidius aquilifer, cum magna multitudine hostium premeretur, aquilam intra vallum proiecit, ipse pro castris fortissime pugnans occiditur. Illi aegre ad noctem oppugnationem sustinent; noctu ad unum omnes desperata salute se ipsi interficiunt.

¹shout.

XXI.

The rival centurions (Caes., Bell. Gall., V., 44).

Erant in ea legione fortissimi viri, centuriones qui primis ordinibus adpropinquarent, Titus Pulio et Lucius Vorenius. Hi perpetuas inter se controversias habebant, uter anteferretur, omnibusque annis de locis summis simultatibus¹ contendebant. Ex his Pulio, cum acerrime ad munitiones pugnaretur, Quid dubitas, inquit, Vorene? aut quem locum² tuae probandae virtutis expectas? hic dies de nostris controversiis iudicabit. Haec cum dixisset, procedit extra munitiones, quaeque pars hostium confertissima est visa, in eam irrumpit. Ne Vorenius quidem sese vallo continet, sed omnium veritus existimationem subsequitur. Mediocri spatio relicto Pulio pilum in hostes immittit atque unum ex multitudine procurrentem traicit; quo percusso³ et exanimato,⁴ hunc scutis protegunt, in hostem⁵ tela universi coniciunt neque dant regrediendi facultatem.

¹rivalry. ²opportunity. ³strike. ⁴fainting. ⁵i.e., Pulio.